



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XIX. Vtrum Deus velit se, & alia propter seipsum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO XIX.

Vtrum Deus velit se, & alia propter se ipsum?



IDEATUR non velle. 1. Quia voluntas est mouens motum ex 3. de anima text. 54. Eius obiectum est finis. Et actus est appetitus. Hæc autem omnia repugnant Deo; vt pote immutabili; infinito, & nullius indiguo, vt supra habitum est. Ergo nihil potest velle Deus, nec datur in ipso voluntas.

2. Quod nihil interest alicuius, non potest esse volitum propter ipsum, quia eo ipso non est bonum illi. Nihil autem intersunt Dei res creatæ, nec habent rationem boni respectu eiusdem. Ergo non possunt esse volitæ propter Deum.

3. Si Deus veller cætera omnia propter se solum, non esset capax amicitia cum Angelis, & hominibus, aut alicuius alterius virtutis moralis. Quia de ratione amicitia est, vt amicus ametur propter ipsum amicum, & non propter amantem, similiterque est de ratione virtutis moralis, vt habeat motuum formale distinctum à summo bono, quod est Deus, vt dicitur in qq. de Virtutibus. Sequela autem est absurda contradicens sacris literis in multis locis. Ergo Deus non vult propter se solum cætera omnia, quæ vult.

4. Res creatæ habent bonitatem amabilem ratione sui immediatè, sicut habent entitatem producibilem immediatè à potentia Dei, quæ non est minus perfecta, quam voluntas Dei. Ergo possunt amari à Deo immediatè ratione ipsarum; sicut possunt produci ab eodem immediatè.

5. Deus mouetur precibus, & meritis hominum ad conferenda, quæ ab illis petuntur, & quæ debentur ratione meritum. Ergo motuum adæquatum Diuinæ voluntatis non est solus Deus.

6. Personalitates Diuinæ præditæ sunt tanta bonitate, quanta est bonitas essentia Diuinæ. Ergo sunt volitæ à Deo ratione ipsarum, & non tantum propter se ipsum, quatenus Deus est formaliter, idest, non propter solam Deitatem, ac essentiam.

Art. 1. Responderetur. Existentiam voluntatis in Deo docent passim sacre literæ, sed maximè Psal. 113. 3. *Omnia quacumque voluit, fecit.* & 1. ad Thesal. 4. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Eodem pertinent totidem ferè classes testimoniorum, quot insinuatæ sunt qu. 15. art. 1. pro existentia scientia in Deo, nec non rationes ferè eadem, quæ ibidem pro eadem propositæ sunt. Quibus addi solet hæc alia ratio ex D. Thoma qu. 19. art. 1. Quia omne intellectuum est volituum. De qua tamen ratione agendum putauit potius in qq. de Angelis. Quia pro existentia voluntatis in Deo, non est necessaria ista propositio sub hac amplissima vniuersalitate. Licet enim cõcederetur possibile aliquid intellectuum imperfectissimum in genere suo, quod propterea non esset volituum; gradus tamen intellectui infinite perfecti (quale intellectuum est proprium Dei) manifestè concluderet coniunctionem, & identitatem volitui secum; cum sit perfectior intellectus practicus, beatificatus, & directius regiminis, ac dominij, quam qui esset purè speculatiuus, nec idoneus ad dirigendum vllum affectum, fruitionem, dominationem, & similia. Nec expedit implicare, quæ sunt clarissima, cum iis, quæ non sunt vsque adeo

clara, atque illuminare lucem obscuritate.

Art. 2. Eadem porro ratione, qua in dicta qu. 15. asserum, & ostensum est, essentiam Diuinam esse motuum formale adæquatum intellectus Diuini cognitum ab eodem comprehensum; dicendum quoque est, eandem essentiam secundum se esse motuum similiter adæquatum voluntatis Diuinæ amatum ab eadem comprehensum. Nempe bonitas essentia Diuinæ, quatenus continens in se omnem puram bonitatem, omnemque perfectionem sine imperfectione, est sufficiens se sola, in qua velut in centro, & fine ultimo adæquato conquiescat diuina voluntas; & eius gratia existat Deus, omniaque Diuina, non secus, ac eadem essentia dicta est supra sufficiens se sola, vi cuius in genere causa quasi efficientis existant Deus, omniaque Diuina, exclusis vtrique, à fortiori, creaturis, manifestè incapacibus, vt habeant rationem causa finalis respectu Diuinæ voluntatis, non minus, quam vt habeant rationem causa efficientis respectu Diuini esse: Quæ paritas viget inter alia, ex illo Apoc. 1. cap. *Ego sum Alpha, & Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis.* Vbi Deus eodem modo prædicatur, tum causa prima, fons, & origo; tum finis ultimus, centrum, & quies rerum omnium. Ergo vtrumque conuenit Deo eodem modo ratione suæ essentia. Ergo sicut hæc se sola est virtus proximè productiua rerum creaturarum, & origo virtualis, vt infra dicitur, reliquorum prædicatum Dei, quin aliquid aliud sit ipsius origo; ita eadem est bonitas adæquate motiua diuinæ voluntatis ad amorem, & existentiam rerum omnium, quin aliquid aliud habeat rationem motui, & causa finalis, vel etiam partialis respectu ipsius. Deinde quæ sunt indistincta virtualiter intrinsecè à relationibus diuinis, & vnicuique earum conueniunt ratione sui, dicuntur pluraliter, vt tres Personæ, tres Substantiæ, duo Spirantes, & similia; at finis ultimus in hoc testimonio, & alibi semper dicitur singulariter; nec plures ultimi fines dici possunt, sicut plures Personæ. Multo verò minus, sicut plures res creatæ. Ergo ratio ultimi finis præsertim respectu primæ, & summæ voluntatis conuenit soli essentia diuinæ secundum se, prout distinctæ virtualiter à personalitatibus, & realiter à creaturis. Demum ab hoc testimonio processit circulus ille decantatissimus apud Sanctos PP. quo omnia, tanquam ad centrum, & ultimum quietis terminum, ed relabuntur, vnde tanquam ex fonte, & prima causa efficiente emanarunt. Quod profectò pronunciant PP. supponentes, tanquam principium euident, quod est prima virtus effectiua omnium, esse quoque supremam dignitatem, ob quam sunt omnia. Cum igitur essentia Dei sit primum principium reale creaturarum, & virtuale relationum diuinarum; eadem similiter est finis vnicus, & adæquatus; ob quem cætera sunt, & amentur à prima, & summa voluntate, iuxta illud Prou. 16. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Ad 3. Accedit primum, rationem ultimi finis esse perfectionem simpliciter simplicem. Quis enim dubitat centrum diuinæ voluntatis, finem in quo ultimo quiescit Deus, & obiectum, cuius cognitione, & amore constituitur beatitudo diuina, esse meliora ipsa, quam non ipsa? Perfectio autem simpliciter simplex non est nisi vnica etiam virtualiter intrinsecè, estque penitus indistincta ab essentia Dei, vt superius dictum est. Accedit rursus bonum particulare ex sua natura esse propter bonum commune, vt docet ex Philosopho D. Thomas 1. contra Gentes c. 41. & alibi sæpè, neque est vllus, qui id neget, saltem respectu voluntatis, ad quam spectat bonum ipsum commune secundum totam suam latitudinem. Ergo relationes Diuinæ, quæ sunt parti-

culari

culariter propria vniuscuiusque Personæ, & multo magis bonitates creatæ, sunt propter essentiam diuinam, quæ est bonum commune. Ergo hæc est vnus, & vltimus illarum finis. Accedit tertio, finem in vnoquoque rerum ordine esse præcipuum bonum, & perfectionem reliquis omnibus præminentem. Patet autem solam essentiam diuinam esse huiusmodi perfectionem. Accedit quarto, nihil manifestius esse posse, quam vnamquamque Personam diuinam eo esse beatam, quo est Deus, & non aliquo insuper alio. Sola autem Deitate, solaque essentia diuina sunt Deus Personæ diuinæ. Eadem ergo sola sunt beata, atque idcirco eadem sola fruuntur, vt amata ratione sui exclusis, à fortiori, creaturis ab hoc munere: Accedit postremo, vnumquemque amorem habere totam suam bonitatem, & mensuram totius suæ perfectionis à motiuo suo formali, & primario; atque amorem diuinum esse indistinctum virtualiter intrinsecè ab essentia diuina, quæ vi sua, & à se sola habet totum suum esse, totamque perfectionem. Ob hæc igitur motiuum formale adæquatum voluntatis diuinæ est sola essentia diuina.

Art. 4. Hoc tamen non tollit, quominus vna res creata, seu vna operatio Dei ad extra sit finis, tum qui, tum cui, respectu alterius rei creatæ, seu operationis Dei ad extra, idque ex intentione Dei volentis formaliter, vt aliquid creatum sit propter aliud aliquid creatum; licet non possit aliquid creatum velle propter aliquid aliud creatum, vt dicit, & optimè distinguit D. Thomas q. 19. ar. 5. Quod ab aliis Theologis solet aliter dici; nempe aliquid creatum posse esse finem alicuius operis diuini; non tamen Dei operantis aliquid, aut alicuius actus interni diuini, qui est ipse Deus. Potest etiam dici; res creatas posse esse motiuum secundarium, & secundum quid voluntatis diuinæ; non tamen primum, & simpliciter, idest posse esse finem alicuius voliti à Deo, non verò ipsius actus, quo vult aliquid; idest, ipsius volentis aliquid extra se. Iuxta istam distinctionem explicari ab vnoquoque facile possunt, nec possunt aliter intelligi, aut explicari legitimè varia testimonia quæ solent adduci contra conclusionem principalem de motiuo formali adæquato diuinæ voluntatis constituto per solam essentiam diuinam.

Ad 1. Voluntas ponitur in Deo secundum id præcisè, quod habet de perfectione, sicut dictum est de scientia. Quod autem voluntas aliqua habeat motiuum, aut finem sui extra se, aut indigeat aliquo, quod non habeat, pertinet ad imperfectionem. Vnde in Deo nec appetitus datur propriè, neque motus, neque finis sui actus; sed sola fruitio sui propter se, & pura quies affectiua in se ipso, atque finalizatio solum respectu creaturarum. Eadem ratione obiectum formale diuinæ voluntatis dici potius deberet quietatiuum, quam motiuum, nisi opus vbique vniuersaliter esset, vt vteremur circa diuina vocibus ad illa translatis ex rebus creatis; quibus, quia magis conuenit moueri, quam quiescere, propterea motiuum potius dicitur illud bonum, quod ex se non minus habet vim quietandi, quam mouendi.

Ad 2. Non solum est volibile, quod interest, sed etiam quod purè decet. Decet autem Deum, vt beneficiat creaturis, licet hoc ipsum benefacere, nihil intersit ipsius, nec vllam ipsi superaddat perfectionem peculiarem, vt infra dicitur.

Ad 3. Deus vult, vt compensentur merita præmiis, & peccata suppliciis; vt subueniatur miseris indigentibus, & sic de aliis eiusmodi; idque præcisè quia decet se, vt ita fiat. Habet proinde Deus virtutes omnes morales non includentes, aut supponentes, ex suo conceptu, aliquam imperfectionem,

& in quarum conceptu, seclusis imperfectionibus, remanet adhuc perfectio aliqua peculiaris; quales sunt liberalitas, iustitia, misericordia, beneficentia, & aliæ similes. Habet verò illas secundum totam ipsarum perfectionem; quia vult opus proprium earum, quatenus tale, absque imperfectione adhærendi bonitati creatæ propter ipsam, vt nos facimus. Nec enim hoc necessarium est ad dignitatem laudis, quæ peculiariter tribuitur rationi cuiusque virtutis moralis; cum non possit perire dignitas laudis alicui operi præcisè, quia voluitum est propter motiuum præstantius. Quod optimè explicat D. Thomas in eadem q. 19. ar. 2. ad 2. exemplo medici, & ægroti. Medicus enim iniungens, & ægrotus sumens portionem amaram, quatenus per intrinsecam suam virtutem conducit ad obtinendam salutem, & quia in ordine ad illam est eligibilis prudenter, respiciunt portionem vt obiectum purè materiale, de quo nemo dubitat; & nihilominus sunt laude digni, & obtinent honestatem peculiarem prudenter, & honestè procurantium salutem; qua dignitate laudis, & honestate carent, si solam adamarent salutem secundum se. Hoc autem pacto se habet Deus in relatione obiecti creati honesti ad bonitatem suam; & non eo pacto, quo idem ægrotus vult portionem dulcem propter salutem, mouente partialiter, dulcedine secundum se, & trahente voluntatem dependenter à salute, simulque independentem ab eadem. Hoc namque posterius non habet locum in Deo, vt aduertit ibidem D. Thomas. Quia essentia diuina non est bonum se solo insufficiens respectu Dei, sicut salus se sola est bonum insufficiens respectu ægroti. Hoc igitur pacto dantur in Deo virtutes morales absque imperfectione ipsarum propria apud nos. Quod specialiter attinet ad amicitiam Dei cum creaturis, explicatur ex præfesso q. 39. de virt. Theol.

Ad 4. Conformiter ad doctrinam hic traditam bonitas creaturarum potest esse immediatè terminatiua actionis diuinæ ad extra; non tamen motiua formaliter, & propriè amoris diuini. Quia motiuum amoris est causa saltem partialis bonitatis eius, & pertinet ad beatitudinem saltem partialem, & accidentalem amantis, quod repugnat rei creatæ respectu Dei. A quo tamen non repugnat vt illa recipiat immediatè totum suum esse. Est itaque eadem perfectio omnipotentis, & amoris diuini; sed omnipotentia comparatur cum suo termino tanquam purè datus, & nihil recipiens; amor verò comparatur cum suo motiuo tanquam aliquid recipiens, & deriuans in amantem. Paritas igitur est manifeste nulla; & bonitas creata potest esse amabilis ratione sui respectu voluntatis creatæ, non verò respectu voluntatis diuinæ.

Ad 5. Constat satis ex dictis circa 3. & superaddetur expositio clarior qu. 31. circa electionem ad gloriam antè præuisa materia. Interim dicitur iuxta phrasim, paulò antè declaratam, preces, & merita nostra esse motiuum secundarium diuinæ voluntatis, non verò primum, nec partiale quidem. Quia illis debetur, siue de congruo, siue de condigno, præmium, & obiectum precum, non verò voluntas collatiua eorum.

Ad 6. Personalitates diuinæ non benè comparantur, quoad perfectionem cum essentia diuina. Quia est eadem ipsarum, & essentia perfectio etiam virtualiter intrinsecè eodem prorsus modo, ac est vna, & eadem diuinitas. Quare sicut Personalitates non sunt Deitas, aut Deus formaliter ratione sui, sed realiter ratione Deitatis; ita sunt amabiles ratione Deitatis non minus, quam sit amabilis ipsa diuinitas, vt apparebit clariùs infra qu. 49. vbi disceretur de perfectione Personalitatum diuinarum.